

sandum est a reliquis horis decantandis, quousque capitulares abeuntem Archiepiscopum reducere possint, ut in omnibus congrua obedientia praelato et Deo debitum obsequium reddatur. »

Tertio: « Quod si interdum contingat, quod Archiepiscopus, vel processione, vel aliqua hora Canonica nondum finita, abire compellatur ob aliquam sui necessitatem, tunc opus non erit ut omnes capitulares cum eo discedant, sed sat erit, si quatuor de capitulo eum domum reducant, ita ut processioni, vel divinis officiis impedimentum, aut perturbationis occasio non praebeatur, quamvis haec, quae perraro eveniunt, minime consideranda sint. »

Quarto: « Ad evitandas perturbaciones et confusiones in diebus quibus Archiepiscopus divinis officiis est interfuturus, campana aliquanto citius pulsetur, ut tempore rebus agendis consideratis, cuncta rectius fiant, et horis congruis expleantur. »

Quinto: « Quod Archiepiscopo accedente ad chorum cum cappa pontificali, capitulares eum associantes eundem habitum gestare debeant, quem in ipso choro deferre solent. »

Sexto: « Omnes dignitates, omnesque capitulares qui ad chorum vadunt, teneri omnino Archiepiscopum associare. Qui autem legitimo impedimento detenti dicantur, dispositioni juris communis relinquuntur. »

Septimo: « Tunc dici Archiepiscopum privatim ad Ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit. »

Octavo: « Nullam dignitatem, Canonicum, aliamve personam propria auctoritate, vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Archiepiscopi cappa, vel sacris vestibus induti, accedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit. »

Nono: « Cum prima dignitas Archiepiscopo Ecclesiam introeunti aspersorium porrigere teneatur, ut supra dictum fuit, ipsa prima dignitas, si legitimo aliquo impedimento detenta sit, huic muneri supplere debet prima dignitas ex iis omnibus quae in Ecclesia sunt praesentes. Legitimi autem impedimenti causa non censetur quod aliquis in choro sit occupatus, nisi sacris vestibus ad Missam majorem celebrandam sit indutus. »

Decimo: « Debere quemlibet capellanum, vel portionarium Ecclesiae ad id deputatum Archiepiscopo librum manibus sustinere; primam vero dignitatem debere ad dexteram Archiepiscopi celebrantis parumper caput supponere ad librum, quem capellanus, vel portionarius manibus sustinet, dum in sede eminenti intonat ipse Archiepiscopus hymnum *Gloria in excelsis*, cantat orationem, *Credo* et *Dominus vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Archiepiscopus legit Epistolam, Graduale et Evangelium, prima dignitas nil aliud agens stabit loco suo erecta, digito autem indicare debet legenda in libro, quando Archiepiscopus est ad altare; neque dedignari debet prima dignitas quod his muneribus fungatur, cum maxime ho-

lorifica sint, et eadem omnino faciat prior Episcopus Cardinalium, dum assistit Summo Pontifici celebranti. »

Undecimo: « Primae dignitatis assistentis propriam sedem esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depinctum, vel aliqua pulchra forma fabricatum, dummodo sit nudum, nullo scilicet panno vel alia re coopertum, in plano solii ad partem dexteram Archiepiscopi praeparatum, atque eo loco et ordine situm, ut prima dignitas assistens ad altare et ad faciem Archiepiscopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium. »

Duodecimo: « Cum Archiepiscopus solam concionem auditurus ad Ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificali indutus eam concionem auditurus sit, non omnes capitulares, sed aliqui duntaxat, videlicet saltem duo ex dignitatibus, et sex ad minus ex Canonicis, Archiepiscopum venientem ad ostium Ecclesiae recipere, atque ad eundem usque locum abeuntem reducere debent. »

(68. De obsequiis vero debitis Episcopo Suffraganeo, vel Coadjutori ad Ecclesiam accedenti, vide Scarfantoni ad Ceccoper. lib. II, tit. 2, fere per tot.)

ARTICULUS VII.

Canonici quoad praecedentiam et praerogantiam.

(1. Canonicus Ecclesiae collegiatae urbis Romae dignior est Canonico cathedralis alterius civitatis, etiamsi cathedralis capitulum sit exemptum. Sic delaravit Sac. Cong. Conc. super cap. 12, sess. 24, de Reformat., ut refert Monacell., tom. I, tit. 2, formul. 15, num. 1, et Zerola in Praxi Episcop., part. II, verb. *Canonici*, § 4, ubi etiam refert, ita in facto fuisse responsum ab eadem Sac. Cong. de mente Summi Pontificis Episcopo Rossanensi. (2. Canonici cathedralis in omnibus, et per omnia sunt praerferendi Magistratui saeculari, quando non est de perpetuis, et maioribus, et concionator debet ipsos prius salutare quam magistratum. Sacra Congreg. Rituum in Tirason., 3 Oct. 1605, et in Capuana, ubi sequentia dubia fuerunt proposita et resoluta. *Primo*: « An capitulo Ecclesiae metropolitanae debeatur praecedentia super magistratum saecularem ejusdem civitatis in omnibus functionibus ecclesiasticis? » *Secundo*: « An concionator debeat salutare prius capitulum, vel magistratum? » *Tertio*: « An absente Archiepiscopo magistratus debeat salutari eum titulo Illustrissimi, et Capitulum cum titulo Reverendissimi? » Sacra Congregatio Rituum, 23 Januarii 1700, respondit: « Ad primum deberi; Ad secundum affirmative; Ad tertium negative in casu proposito. » Et in alia Vercellensi 11 Augusti 1691, declaravit quod concionator debet prius salutare Canonicos quam gubernatorem civitatis. (3. Canonici cathedralis thurificandi sunt ante magistratum, tam in Ecclesia cathedrali quam in aliis, in quibus simul convenerint, ubi talis est consuetudo, Sacra Congreg. Rituum in Narnien.,

16 Jun. 1605. (4. Canonici cathedralis extra Ecclesiam nullam habent jurisdictionem incedentes uti singuli, ideo cedere debent habentibus jurisdictionem et civitatem repraesentantibus, praesertim si de consuetudine in contrarium non constaret. Sacra Congreg. Rit. in Veronen., 15 Martii 1594. (5. Canonici cathedralis omnibus aliis Canonicis praecedunt; cap. *Statuimus, de Majoritate et obedientia*. Cathedralis enim Ecclesia collegiata vincit honore, et superat dignitate; c. *Venerabili* in fine, ubi Gloss. de verb. significatione, cap. *Cum Canonicis de Cens.* Rota in Caesaraugustana Synodi, 13 Februar. 1626, coram Coccino. (6. Adeoque Canonici cathedralis in omnibus functionibus praerferendi sunt Canonicis collegiatae, non obstante consuetudine in contrarium. Sac. Cong. Rit. in Tusculanen., 19 August. 1619. (7. Etiam in omnibus actibus in propria collegiata exercendis. Eadem Sac. Cong. in una Fundan., 2 Oct. 1597. (8. Imo Canonici cathedralis praecedunt Canonicis collegiatae etiam in associandis funeribus defunctorum propriae ipsius collegiatae Parochiae. Ead. Sac. Cong. Rituum in Praenestina Cavarum, 18 Augusti 1618. (9. Sed quoad funera, et praecedentiam Canonicis debitam in ipsis, melius in articulo sequenti.

(10. Canonici cathedralis et collegiatae, et alii clerici saeculares, semper praecedere debent regularibus, etiam in ipsis regularium Ecclesiis. Eadem Sac. Cong. Rit. Trullen., 12 Mart. 1616, et in Firmiana Terrae Victoriae, 31 Mart. 1618; et sic statuerat Clemens VIII, in sua *Constit.* incip. *Decet Romanum Pontificem*, sub die 20 Februar. 1601, et in alia incip. *Quae ad removementum*, sub die 5 Novembr. 1603, quas Clementis VIII Constitutiones observari mandat Gregorius XV, in sua *Constitutione* incip. *Alias a felicis*, sub die 13 Augusti 1622. Et de jure etiam communi Clerici saeculares praecedere debent regularibus, ut colligitur ex cap. *Alia causa* 6, et cap. *Legi Epistolam* 36, q. 1, cons. 16. (11. Canonici et presbyteri Ecclesiae cathedralis debent praecedere omnibus curatis parochialium Ecclesiarum in omnibus processioneibus et functionibus, etiam in propriis ipsorum curatorum Ecclesiis. Sac. Cong. Rit. in Pisaur., 23 Maii 1603, et in Sutrina, 2 Augusti 1603. (12. Etiamsi curati sint colla et stola induti. Ead. Sac. Cong. Rituum in Ripana, 30 Julii 1616, et in Viterbien., 25 Julii 1611. (13. Canonici cathedralis si ob intemperiem aeris resideant in alia Ecclesia, rector illius debet sedere post Canonicos supra mansionarios et reliquos presbyteros, et si fuerit protonotarius, praecedat Canonicis ut singulis, non autem capitulariter. Sac. Rit. Cong. in Concordien., 16 Maii 1601. (14. Canonici cathedralis in Ecclesia parochiali dignior locus debetur immediate post Episcopum, et post Canonicos sedere debet rector. Sac. Cong. Rit. in Turritana, 14 Februarii 1632. (15. Canonici collegiatarum Ecclesiarum praecedere debent omnibus rectoribus, curatis, plebanis, ac presbyteris Ecclesiarum parochialium in

publicis processioneibus et functionibus, etiam synodalibus. Sac. Rit. Cong. in Verulien., 11 Decembr. 1613, et in Senogalienen., 23 Mart. 1619, et 4 Aprilis 1620. (16. Etiamsi ante erectionem in collegiatae mistim incederent cum dictis rectoribus. Eadem Sac. Cong. in Syracusana, 20 Decembr. 1601. (17. Vel inferiores Ecclesiae essent antiquiores, et fuissent in quasi possessione praecedendi ante erectionem. Eadem Sac. Cong. in Illerdensi Praeeminentiarum, 26 Junii 1602, ubi subditur « hoc procedere, etiamsi in erectione adsit clausula sine praedicio alicujus. » (18. Canonici tamen, qui sine cruce suae Ecclesiae, et sine inventu capituli tanquam singuli incedunt, non habent praecedentiam supra curatos. Eadem Sac. Cong. in Sutrina, 3 Decembr. 1603. (19. Canonici capitulariter et processionaliter procedentes praerferuntur abbatibus benedictis. Eadem Sac. Congreg. in Valven., 8 Julii 1602. (20. Canonicis et dignitatibus extra Ecclesiam praecedere debet praelatus utriusque signaturae referendarius. Eadem Sac. Cong. Rit. in Veronen., 6 Junii et 4 Julii 1626.

(21. Canonicus prius factus debet praecedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint doctores. Sacra Congreg. Rit. in Mediolan., 29 Nov. 1603, et in Panormit., 15 Maii 1610. (22. Et etiam in Congregationibus, et ubique Canonici Ecclesiae cathedralis, licet non sint doctores, praerferendi sunt presbyteris non canonicis, licet sint doctores. Eadem Sacra Congregat. Rit. in una Bituntina, 9 Januar. 1608, in haec verba: « Cum in Congregationibus quae fiunt coram Episcopo Bituntino vel vicario generali, pro examine ordinandorum, admittantur nonnulli presbyteri doctoratus gradu insigniti una cum aliquibus Canonicis, quaesitum fuit in Sacra Rituum Congregatione, quis locum digniorem obtinere debeat in sedendo, an presbyter graduatus non Canonicus, vel potius Canonicus non graduatus? » Et Sac. Rit. Congregat. respondit, « Canonicos cathedralis Ecclesiae, etiam non graduatos, praerferendos esse omnibus presbyteris non Canonicis, etiam graduatis. » (23. Canonicus presbyter praecedat Canonico antiquiori non presbytero. Eadem Sacra Congreg. in Cabalicen., 3 Augusti 1617. (24. Canonici vero, quando omnes sunt Presbyteri, praecedunt inter se secundum suam receptionem. Eadem Sacra Cong. in Albanensi, 2 Martii 1602; in Orten., 19 Junii 1604; et in Tropien., 10 Decemb. 1619. (25. Ubi autem praebendae sunt distinctae, Canonici provisi de canonicatibus presbyteralibus debent praecedere Canonicis provisis de canonicatibus diaconalibus et subdiaconalibus, licet prius in Ecclesia receptis. Eadem S. Cong. Rit. in Saonen., 11 April. et 11 Octobr. 1601; in Neapolitana, 23 Mart. 1602; in Albingan., 6 Septemb. 1603; et in Tropien., 17 Jun. 1607; et deducitur ex c. *Praecipimus* 26, dist. 93, ibi: « Praecipimus ne Diaconus, quamvis etiam in dignitate, hoc est in officio quolibet ecclesiastico sit, ante presbyterum sedeat; » et

cap. *Statuimus* 15 de Majoritate et Obedientia, ibi: « Et qui major est ordine, etiamsi postea sit receptus, potiorum esse volumus. » (26. Et hoc procedit etiam non obstante consuetudine immemorabili in contrarium, ut « in Sutrina pro collegiata Ecclesia Bracciani, inhærendo decreto Ecclesie collegiatae Sanctæ Mariæ ad Martyres de urbe alias emanato, 29 Martii et 27 Septembr. 1659, in qua fel. rec. Alexander Papa VII, in Congreg. ordinaria coram eodem habita » decrevit Canonicos sacerdotes, quamvis possessione canonicatus posteriores, ubi præbendæ non sunt distinctæ, semper et ubique præferendos esse Canonicis inferioris ordinis, etiam possessione canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusus impræscriptibilem declaravit die 30 Julii 1689, et idem prius declaraverat in Farfen. pro collegiata S. Mariæ Terræ Toffia, 15 Septembris 1668.

(27. Canonici ordinis diaconalis in minoribus, vel diaconali ordine constituti, ubi præbendæ sunt distinctæ, præcedere debent Canonicis ordinis subdiaconalis, quamvis presbyteris. Cum enim in Æsina, 31 Maii 1670, quæsitum fuisset an Canonici ordinis diaconalis in minoribus, vel in sacro diaconatus ordine tantum constituti, debeant præcedere Canonicis ordinis subdiaconalis in presbyteratus ordine constitutis, Sac. Cong. Rituum eadem die respondit, *Affirmative*, ea ratione, quia ubi præbendæ sunt distinctæ, attenditur cuius ordinis sint Canonici seu Coadjutores, non autem attenditur qualitas, seu dignitas personarum. (28. Et an præcedentia deberetur Coadjutori Canonici ordinis presbyteralis, non adhuc sacerdoti, sed in minoribus tantum ordinibus constituto; eadem die respondit, *Affirmative*. (29. Et cum in eadem Æsina fuisset quæsitum an præsentem coadjuto Diacono, et per seipsum inserviente, illius Coadjutor Diaconus debeat in choro et functionibus ecclesiasticis stare post omnes Canonicos ejusdem ordinis diaconalis tantum, vel potius post etiam Canonicos Subdiaconos in casu? Sac. Congr. Rituum respondit, die 4 Aprilis 1705, *Affirmative, quoad primam partem; negative, quoad secundam*. (30. Et in eadem Æsina ad quæsitum an Coadjutori Canonici presbyteri in Ecclesia, in qua præbendæ sunt distinctæ, debeat præcedentia super Diaconos, dum pro suo Coadjuto divinis interest? Jam ab eadem Sac. Rit. Congregatione fuerat responsum in casu proposito, præcedentiam deberi, die 4 Martii 1645. (31. Canonici Diaconus, qui habet anteriorem possessionem, si postea promoveatur ad Sacerdotium, non recuperat locum præcedentiam, quam prius cesserat Canonico presbytero possessione posteriori. Sic in terminis decrevit Sac. Congreg. Rituum in Sutrina, 27 Augusti 1707; et sic etiam decreverat in una urbis, 3 Augusti 1602, quia attenditur prioritas ordinis, et non canonicatus. Pignatell. tom. III, consult. 55, formul. 7. num

5, et tom. IV, supplemen. ad 3, tom. II, n. 108, cum pluribus aliis. (32. In processionibus quæ fiunt cum interventu capituli cathedralis, præcedentia debetur beneficiatis supra parochos. Sac. Rituum Congr. in Taurinen., 2 Octobris 1683, et licet contrarium decisum reperiatur in alia Bituntina, 21 Augusti 1688, in qua præcedentia data fuit parochis supra beneficiatos cathedralis; hoc evenit, quia parochi Bituntini habent stallum in choro, et sunt de gremio illius capituli. (33. Præcedentia autem quæ debetur parochis et curatis perpetuis, eadem debetur parochis et curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis parochorum perpetuorum. Sacra Congr. Concil. in una Comensi, 27 Martii 1706. (34. Dignitatibus et Canonicis cathedralis convenit distinctio tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi in Missis. Sac. Congreg. Rituum in Recineten., 20 Martii 1706 in responsione ad primum. (35. Canonici collegiatae non debent in processionibus incedere parati, sicut Canonici Ecclesie cathedralis. Sacra Congregatio Rituum in una Placentina, 19 Maii 1607, in respons. ad 20 dubium. (36. Canonici non possunt in celebratione Missæ uti palmatoria, vulgo bugia. Sac. Cong. Rit. in Vicentina, 11 Junii 1699, in qua tale indultum denegatum fuit.

(37. Canonici digniores debent sedere in sedibus quæ sunt viciniore sedi episcopali. Sac. Congr. Rit. in Alexand., 15 Martii 1608, in resp. ad dub. 14. (38. Canonicus celebrans ratione paramentorum et officii debet habere primum locum, et primam sedem chori, supra dignitates et Canonicos. Sac. Congr. Rit. in Arboren., 26 Junii 1610. (39. Canonicus hebdomadarius officium faciens debet habere locum supra omnes dignitates et Canonicos. Ead. Sac. Congr. in Brundusina, 27 Junii 1616. (40. Canonicus primus, vel prima dignitas, qui digniorem locum habet in capitulo, præferendus est cæteris in processionibus. Eadem Sac. Congr. Rit. in Astensi, 18 Novembr. 1606. (41. Canonici et dignitates parati præcedunt Vicario Generali, non obstante consuetudine in contrarium. Sac. Congr. Rituum in Lauretana, 6 Sept. 1603; in Alexandrina, 15 Martii 1607; in Casalen., 5 Julii 1614; et in Castellana, 25 Septemb. 1621, ubi fuit decisum, « præcedentiam competere dignitatibus et Canonicis paratis supra Vicarium Generalem, neque allegatam consuetudinem, imo verius abusus, illi suffragari. » (42. Et tunc sunt thurificandi ante Vicarium. Ead. Sac. Congr. in Egitanensi, 3 Augusti 1602, et in Tiburtina, 6 Martii 1610. (43. Canonici et dignitates non præcedunt Vicario Generali, nisi quando sunt sacris vestibus parati, et dummodo Vicarius non sit de eorum numero, quia Vicarius Generalis Canonicus, cum sedet uti Canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis, et in habitu canonicali; (44. alias si uti Vicarius sedeat, præcedit omnibus Canonicis et dignitatibus, sed non lucratur distributiones quotidianas. Sac. Congr. Ru-

tuum in Calaguritana, 2 Augusti 1603; in Casal., 5 Julii 1613; in Ampurien. 7 Decemb. 1630; et in Acernensi, 21 Junii 1632. (45. Etiam quæ dantur interessentibus processionibus. Eadem Sacra Congregatio in Compostellana, 21 Februarii 1604; Brundusina, 16 Julii 1607; Gallipolen., 21 Decemb. 1613; Sutrina, 1 Octobr. 1616; et Oritana, 4 April. 1620. (46. Canonici et dignitates præcedunt Vicario capitulari Canonico, si, ut lucretur distributiones, voluerit choro interesse, quia choro interessendo debet habere solitam vestem canonicalem, et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquiorem præcedendo. Rota in una Lucana Benef., 18 Decemb. 1679, coram Seraphino, et dec. 283, num. 2, apud Farin., part. II, recentior.; Barbosa de Potest. Episc., part. III, alleg. 54, num. 167. (47. Si autem Vicarius capitularis noluerit lucrari distributiones, tunc debet præcedere omnes Canonicos et dignitates, excepta prima post pontificalem, ut declaravit Sac. Rituum Congr. de mense Augusti 1603, in una Assisiensi. Et ratio, quare prima dignitas præcedat Vicario capitulari, potest esse quia, sicut se habet Vicarius Episcopi ad Episcopum, ita regulariter se habet Vicarius capituli ad capitulum, ut observat Sbroz, de Vicario Episcopi, lib. II, qu. 15, num. 20, et Barbosa de Canonis, c. 36, n. 8. Unde cum Episcopus præcedat Vicario suo, æquum est, ut saltem prima dignitas capituli præcedat Vicario ejusdem capituli, quæ tanquam caput representat, et continet eminenter totum corpus capituli; cap. *Legimus* 24, dist. 93, et Glossa, ibi verb. *Continentur*. (48. Unde Vicarius capitularis non potest occupare sedem Archidiaconi in Ecclesia, sed debet sedere in alia sede portatili. Sacra Congregatio Rituum in Lacerina, 11 April. 1601. (49. Vicarius Foraneus ratione sui Vicariatus nullam in quavis functione, et loco habet præcedentiam super alias dignitates, et canonicos antiquiores. Sacra Rituum Congregatio in una Neritonensi, 22 Decemb. 1629. (50. Etiam quacunque consuetudine non obstante. Ead. Sac. Congr. in Syracusano, 8 Julii 1630.

(51. Canonicus, vel dignitas factus Episcopus cum retentione Canonicatus, vel dignitatis debet præcedere omnibus aliis Canonicis et dignitatibus, etiam ipso antiquioribus. Sacra Rit. Congreg. in una Ruthenensi, 24 Septemb. 1605. (52. Canonicus, qui est Episcopus titularis, ratione episcopatus quem habet in terris infidelium, debet præcedere omnibus Canonicis et dignitatibus in choro, capitulo, et processionibus, aliisque actibus; sic pluries decrevit Sacra Rit. congreg.: « Cum enim Episcopus Bruscæ in partibus infidelium obtinisset canonicatum in Ecclesia Compostellana, et dubitatum fuisset in quo loco sedere deberet, et quo habitu uti deberet in Ecclesia, proposito hujusmodi dubio in Sacra Congregatione, respondit, ratione episcopatus posse et debere uti habitu ordinario quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est rōchetto

super subtana, et mantelletto violacei coloris, et debere præcedere omnibus aliis Canonicis ejusdem Ecclesie, et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romæ, simili casu veniente, in tribus Ecclesiis patriarchalibus Sancti Joannis, Sancti Petri, et Sanctæ Mariæ Majoris, et ita censuit, et declaravit, et in Ecclesia Compostellana servari mandavit » sub die 11 Julii 1617. Et deinde eadem Sacra Congregatio sub die 12 Novembris 1621, in una Calaritana in Sardinia censuit: « Episcopo titulari, qui in Calaritana Ecclesia canonicatum obtinet, in choro, capitulo et processionibus, aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesie dignitates, et Canonicos præcedentiam competere. » (53. Canonicus qui permutavit canonicatum, si permutatio effectum habere non potuit, et redierit ad suum canonicatum, debet habere locum et stallum antiquum, nec tanquam novus Canonicus censendus est, nec tenetur iterum solvere jocalia pro admissione. Sac. Congr. Rit. in Mutinen., 29 Novemb. 1605. (54. Canonicus vero qui canonicatum dimisit, et alium in eadem Ecclesia impetravit, locum ultimi canonicatus obtenti obtinere debet, nec potest obtinere locum dimissi. Ead. S. Congr. in Callien., 21 Mart. 1609, et in Sutrina Præcedentiam, 11 Jun. 1701. (55. Canonicatus licet sit de jure patronatus, debet eum obtinens præcedere tanquam verus Canonicus omnibus aliis qui post illum obtinuerunt canonicatum. Ead. Sac. Congreg. in Hortana, 30 Julii 1616.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. Licet Canonici collegiatarum urbis præcedant Canonicis cathedralium aliarum civitatum, ut monet auctor num. 1, in cæteris rebus exæquati non sunt dictis Canonicis cathedralium aliarum civitatum. (57. Inde fit, quod si ex Pontificio indulto in translatione pensionis intervenire debent (58. « quicumque loci ordinarii vel Canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, » satisfactum haud diei potest per interventum Canonici collegiatae urbis. Rota in Romana Pensionum, 13 Januarii 1747, § 2, et plur. seq. coram clar. mem. Milin., (59. ubi et de aliis differentiis agit Canonicos collegiatarum urbis inter et Canonicos cathedralium aliarum civitatum. (60. Pacifica haud est opinio auctoris, num. 11, et seq., quod Canonici cathedralium in omnibus functionibus præcedentiam et præminentiam obtinere debeant supra parochos etiam in propriis ipsorum parochorum Ecclesiis. (61. Contrarium enim decidit novissime Sacra Congreg. Rituum in S. Severini Præminentiarum, 13 Mart. 1756, in responsione ad dub. 13; si agatur de actibus illis quibus parochi munus proprium exercent ex ratione illa, quod quilibet in domo sua aliis præferatur; (62. et quidem non obs. ante quod allegatus fuerit Louvrex, qui dissert. can. 10, num. 4, rationem hanc « non semper esse veram, ait, sed intelligen-

dam esse respectu illorum qui, etsi majorem possideant dignitatem, nullam habent superioritatem in eum in cujus fundo versantur; adeo ut aliud statuendum sit de iis quibus aliqua in eum, in cujus territorio existunt, superioritas competit, etsi non omnimoda. Unde fit ut Episcopus Ecclesiarum quantumvis exemptarum praelatis in ipsis Ecclesiis exemptis præcedat ob reverentiam quam exempli Episcopo debent, etc. Idque ad capitulum Ecclesiæ cathedralis collegialiter incedens, seu in actibus in quibus Ecclesiam cathedralem repræsentat, plurimi extendunt quasi tunc de juribus Episcopo capiti suo competentibus participet. »

(63. Valde implicata est quæstio illa, utrum præcedentiam obtinere debeat Canonicus de tempore prior, an Canonicus major ordine. In ea enim non solum contrarii sunt inter se DD. sed et sibi oppositæ videntur ipsæ resolutiones Sac. Congregat. Rit. (64. Plures innixi textui in cap. *Statuimus*, de Majorit. et Obed. in ea sunt sententia, unum supra alterum Canonicum præcedentiam obtinere debere non ex prioritate temporis, sed ex majoritate ordinis, censentque tunc attendendam esse prioritatem temporis, cum cætera sunt paria. Ita Pignatell. *Consult. can.* tom. III, consult. 55, num. 12; Monacell. *Formul. Legal. pract.*, part. III, tit. 2, formul. 7, fer. per tot.; alique. Et in hoc ipso sensu videtur fuisse S. C. Rit. referente post alios Riccio tit. de Præcedentia, resol. 529.

(65. Contra, plures quoque constanter tenent, de præcedentiis Canonicorum statuendum esse non secundum majoritatem ordinis, sed secundum prioritatem temporis, ita ut Canonicus minor ordine, tempore autem prior præcedere debeat, ut inter alios Gratian. *discept. Forens.* cap. 106, num. 3; Vagnereck. in cap. *Statuimus*, de Major. et Obed. Nec sua caret ratione hæc opinio, ut patet ex his, quæ habet Vagnereck loco mox citato, ibi: Ex hoc textu colligit Tiraquel. « dignitatem antiquitati præferendam, et majorem dignitatem præcedere debere, quando dignitas est ordinata ad illum actum, pro quo tractatur de præcedentia, secus est de actu diverso. Ideoque quia dignitas sacerdotalis per se non ordinatur ad eligendum, vel ad alios actus capitulares, sed ad actus ordinis, in capitulis non præcedunt sacerdotes, neque Episcopi, si forte sint simul Canonici, sed eo ordine sedent, aut incedunt, quo venerunt in capitulum, aut acceperunt possessionem canonicatus. » Allegatur etiam pro hac opinione Resolutio S. C. Rit. a Gratiano *ubi supra*.

(66. Dissidentes nascere sententias (dubitantes tamen) conciliat Ferr. de Præbend. et Prælat. *Eccles.*, quæst. 10, sub num. 9, ibi: « Declaratio relata per Riccio loquitur in canonicatibus Ecclesiæ cathedralis, in quibus requiritur ordo sacer, ut supra dixi, ideo ad illum principaliter attenditur. Declaratio vero

(1) Poterat hic eruditissimus Additor, saltem ad eruditionem superaddere quæ ad rem, quamvis contra, tradit doctiss. Catalanus in Cæremoniali Episco-

a Gratiano relata ex ejus verbis loqui videtur in canonicatibus Ecclesiæ collegiatæ, etc. Ideo Canonicus collegialis major gradu, quamvis minor ordine, præfertur majori in ordine, et minori in gradu. »

(67. Hæc alia concilia placuit Gothofredo Diatrib. de jure præced., lib. 1, cap. 3, sub lit. A. ibi: « Prima declaratio procedit in Ecclesia, ubi præbendæ sunt distinctæ, secunda vero ubi præbendæ non sunt distinctæ. » Hanc ipsam conciliationem probavit etiam Novar. ad lib. 1, n. 7, c. de Consult. (1).

ARTICULUS VIII.

Canonici quoad perceptionem sacramentorum, et quoad funera et sepulturam.

(1. Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, tenetur in infirmitate recipere Sacramenta, non a parochia dictæ Ecclesiæ cathedralis, sed a parochia domicilii. Sic expresse decrevit Sac. Congr. Conc. 12 Maii 1685, in Tiburtina in responsione ad 1, ubi cum inter alia dubia fuerit quæsitum: « Primo, an Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta a parochia Ecclesiæ cathedralis, vel potius a parochia domicilii; » Sac. Congr. in Tiburtina 12 Maii 1685 respondit: « Ad primum, teneri recipere a parochia domicilii. » Vide verb. *Parochus*, art. 3, num. 14. Et ratio est, qui quilibet tenetur recipere Sacramenta, præsertim Viatici, et Extremæ Unctionis, a proprio parochia, ut in Clement. 1 de *Privileg.*, atque proprius parochus est ille, in cujus parochia quis actu habitat, vel habet domicilium, juxta cap. *Is qui*, de *Sepulturis* in 6, et juxta Fagnanum in cap. *Significavit* 5 de *Parochiis*, et alienis parochianis, num. 27 et 32, ubi etiam num. 36 refert, hanc esse sententiam Sac. Congregat. Concilii in casibus contingentibus per Glossam in d. Clement. 1, de *Privileg.*, verb. *Parochialis*; et Abbas in cap. *Omnis utriusque sexus*, de *pœnit. et remiss.*, ubi testatur de communi. Et sic videtur decerni etiam in Sac. Conc. Trident., sess. 24, cap. 13 de *Reformat.*, ubi præcipitur Episcopis, « ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suæ perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant... non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus, etiam memorabilibus. »

(2. Nec obstat quod Ecclesia cathedralis dicatur parochia ipsius Canonici, imo et parochia communis totius diocesis. Nam est parochia communis, quando in ea Episcopus administrat Sacramenta, cum ipse sit parochus totius diocesis, non autem quando pa-

porum, Romæ impresso anno 1754, tom. 1, Præloquio ad lectorem, pag. 11, num. 12. Videatur ibi, ubi multa ad rem. (*Animadversio Auctoris.*)

rochus cathedralis illa administraret, quia cum sit tantum parochus cathedralis, extra illam et illius parochiam, nullam habet jurisdictionem, adeoque non potest administrare Sacramenta in alienis parochiis, ut expresse decrevit Sac. Cong. Concil., 20 Sept. 1628, apud Gavant., in *Manuali Episcop.*, verb. *Parochor.*, num. in addit. n. 2. Præterea est parochia communis iis, qui ad ipsam voluerint accedere pro recipiendis Sacramentis, ut notat Abb. in dict. cap. *Omnis utriusque sexus*, num. 2, de *pœnit. et remiss.* Guttier., *Can. qq.*, lib. 1, cap. 30, num. 12, non autem ad illa ministrandum in alienis parochiis, quibus sua jura debent illæsa conservari, ita exigente earum institutione, cum non sint confundenda, juxta cap. *Scriptum est* 1, caus. 6, quæst. 3, cap. *Nullus* 3, caus. 9, quæst. 2. Sic expresse Pignatell. t. VIII, cons. 5, n. 1, 2 et 3.

(3. Canonici ad funera intervenientes, si sint Canonici Ecclesiæ cathedralis, præcedunt nedum proprio parochia defuncti, etiamsi sit stola indutus, ut pluries declaravit Sacra Rituum Congregatio, et signanter in Viterbiensi, 25 Junii 1611, et in Aversana, 15 Septemb. 1640, sed etiam præcedunt Canonicis collegiatæ etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius collegiatæ parochiæ, ut pluries declaravit Sac. Rituum Congregatio, et signanter in Prænestina Cavarum, 18 Augusti 1618, et in Leodien. Præcedentiæ, 10 Martii et 21 April. 1668. (4. Si autem sint Canonici Ecclesiarum collegiatarum, in funeribus præcedunt propriis parochis defunctorum. Sac. Congregat. Rit. in Sutrina, 30 Augusti 1602 et 2 Augusti 1603; in Meliten., 18 Novemb. 1606; in Ostiens., 18 April. 1607; in Prænestina Cavarum, 14 Augusti 1618, ubi in causa præcedentiæ inter Archipresbyterum et Canonicos Collegiatæ Sanctæ Mariæ, et parochum S. Stephani declaratum fuit, « præcedentiam semper et ubique competere Archipresbytero, et Canonicis supra parochum prædictum, etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius parochiæ, jus tamen faciendi officium circa corpus defuncti ad parochum in sua parochiali Ecclesia spectare. » Et idipsum diserte firmatum fuit a dicta Sac. Congregatione 14 Maii 1643, neque in associatione funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi præcedentiam capitulo collegiatæ supra parochum, etiam proprium defuncti, sine tamen præjudicio in reliquis jurium, et præminentiarum eidem parochia de jure, vel consuetudine competentium. Et sic tenet Pignatell., tom. III, consult. 52, et Barbosa de *Canonicis*, cap. 18, num. 67 et 68, non obstante quod pro præcedentia parochorum supra collegiatam exstant etiam varia decreta Sac. Congreg. Rituum in Nucerna, 24 Octobris 1609; in una S. Angeli Terræ Saxiferati, eodem die et anno; in Prænestina, 13

(1) Decreta S. R. C. ab Auctore adducta ad probandam præcedentiam Canonicorum Collegiatarum supra Parochos in funerum associatione, et præsertim decretum in Prænestina Cavarum, die 14 Au-

Julii 1619; in Spoletana, 21 Aprilis 1635; in Laudensi, 23 Maii 1639 (1). (5. Canonici Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ non possunt sociare cadavera ex alienis parochiis, sine proprio parochia. Sacra Rituum Congregatio in Novarien., 15 Januarii 1633; in Aversana, 15 Septembris 1640, ibi: « Eminentissimo Paleotto referente dubia pro parte parochorum civitatis Aversanæ, prædictis dubiis sic respondendum censuit: *Ad primum*: Vocato ad funus capitulo cathedralis, non aliam crucem quam ipsius capitulo deferendam esse. *Ad secundum*: Capitulo interveniente, ut supra proprium parochum defuncti, etiam quod sit stola indutus, incedere debere ante Canonicos cathedralis. *Ad tertium*: Ad solum parochum spectare aspergere aqua benedicta cadaver, antequam levetur de domo, et ad eundem pertinere intonare antiphonam: *Si iniquitates*, et officium super cadaver in sua Ecclesia peragere; die 15 Septembris 1640. » (6. Et iterum in Novariensi Vicario, ibi: « Rev. Pater. A parochis civitatis Novariæ supplicatum fuit Sacræ Congreg. juxta decreta alias lata declarari capitulum, et Canonicos Sancti Gaudentii non posse parochia inconsulto cadavera defunctorum ex ulla parochia levare, et ad unumquemque parochum spectare munus faciendi benedictionem super eadem cadavera, et illa aqua benedicta aspergendi, antiphonam: *Exsultabunt Domino*, intonandi, quando effertur cadaver, officium defunctorum peragendi, omniaque alia ad funus pertinentia. Eminentissimi vero patres eorum decretorum exemplar adjunctum tibi remitti voluerunt, cujus partes erunt illorum observantiam curare. In quo si aliqua difficultas orietur, mandabis ut in Sacra Congregatione jura deducantur, non suspensa tamen dictorum decretorum executione. Datum Romæ, 21 Septemb. 1651, Alexand. Card. Cappon. » Sic refert, et tenet Pignatell. tom. VI, consult. 59, n. 5 et 6. (7. Imo n. 8 dicit, quod ex ipsis probe colligitur, quod ad proprium parochum, non autem ad alios spectat peragere officium super cadaver in ejus propria domo, illudque aspergere aqua benedicta, intonare antiphonam, quando effertur, ac peragere omnes alias cæremonias funeris, ut speciatim ultra dispositionem Ritualis Romani tit. *Exsequiarum Ordo*, habentur quoque declarationes Sac. Congregationis Rituum in d. Aversana, 15 Sept. 1640; in d. Novarien., 21 Septembris 1651; in Pientina, 1 Martii 1646, et in ead., 2 Augusti 1637, in qua requisita fuit probatio memorabilis temporis ad firmandam contrariam consuetudinem.

(8. Unde, quando non adsit legitima in contrarium consuetudo, nemini neque Canonicis Ecclesiæ cathedralis licet levare de domo, et deferre cadavera ad sepulturam irrequisito proprio parochia, ut tenet etiam

gusti 1618, emanatum, corrigenda sunt per alia decreta, præcipue in alia Prænestina, die 15 Jul. 1619, quod decretum fuit revocatum præcedentis; unde videtur illi standum. (EDIT. VEN.)